

obstante. In cuius rei memoriam presentibus sigillum nostrum duximus appendendum. Datum uigesimo secundo die diei introductionis, statucionis et restatucionis predictarum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto supradicto.

Orig. in c. r. aulico Archivo Vienensi.

CXXXVI.

Anno 1435. 7. Aprilis Tinninii.

Sedem judicariam Tiniensem in Regno Croatiae fuisse in eaque juxta consuetudinem Regni Croatiae justitiam administratam fuisse, hocce documento docetur.

Nos Capitulum ecclesie Tiniensis memorie commendantes significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis: Quod in nostram personaliter veniens presenciam vir nobilis Andreas Woksich de Starauaz, legitimus procurator specabilis et magnifici domini Nicolai de Frangepanibus, Wegle, Segnye, Modrusieque etc. Comit. Idem Andreas nobis exhibuit quamdam litteram honeste sedis Tiniensis, petens nos debita cum instantia, vt eandem transscribi et acopiari dignaremur. Cuius quidem litere tenor per omnia talis est: Nos Iwan Wladkonis Milinich, locum tenens Dalmacie et Croacie Vicebanatus, Nicolaus Mendesich de genere Bucichiorum, Symon Budoyessich de genere Vhnachac et Wok Berislaulich de genere Ciprianorum, indices iurati nobilium Coruatorum sedis Tiniensis, memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit per presentes, quod cum nos vna cum Nobilibus Regni Crouacie nonnullis consedissemus, ad ius reddendum vnique postulantis eam, tunc de medio aliorum causidicorum exurgens coram nobis vir nobilis Andreas Wksich de Starawaz de Bussan, legitimus procurator viri magnifici domini Nicolay filii quondam Nicolay de Frangepanibus, Wegle, Segnye, Modrusie etc. Comit. nomine et in persona ipsius Magnifici Comit. nos de consuetudine Regni Crouacie tali modo interrogasset, dicens: Quod licet predictus Magnus quondam Nicolaus de Frangepanibus, Wegle, Segnye, Modrussie etc. Comes, Regnorum Dalmacie et Croacie Banus, pater prenominati moderni domini Nicolay de Frangepanibus, eorundem Wegle, Segnye, Modrusie etc. Comit. quasdam possessiones seu Comitatum Bussane uocatas a Serenissimo principe domino Sigismundo, dei gracia Rege Hungarie etc. pro pignore habuisset: nunc autem date nobis consuetudinem Regni Crouacie; si idem quondam magnificus dominus Nicolaus Comes et Banus easdem possessiones seu Comitatum Bussane dictum, sibi pignori obligatione proueniens, filio suo prenominato moderno magnifico do-